

antea mortalibus erepto, ait: *Est ille confertus Apostolis & Prophetis* (ideoque & cum Abraham) *& quod pace Sanctorum omnium dixerim, in illo JUSTORUM GREGE NULLI SECUNDUS, ut spero, credo, confido; illis potissimum, qui Stolas suas in sanguine Agni laverunt, aggregatus, Agnum ducem ab omni integer labe comitatur.* Hisce vides delineatam Coelestem S. Martini gloriam, eumque jam invecum ad Visionem Dei & Domini; nam qui Stolas suas dealbarunt in sanguine Agni, *stant ante Thronum, & in Conspectu Agni,* uti supra animadvertimus cap. IV. Quare frustra Burnetus agit, quum in suum censum pertrahere se posse putat, si quos veterum deprehendit statuentes defunctorum Animas *in sinu Abraham* degentes, vel postquam Dominus ad dexteram Patris conscendit. Nihil hoc officit ineffabili Sanctorum Beatitudini. Quod si a nonnullis beatissimus iste Animarum status distinguitur a *Regno Celorum,* id tantummodo factum, ut indicarent completam & consummatam illorum Sanctorum Felicitatem, quam una cum Corpore post univerforum Judicium consequentur, & quam *Regnum Dei, Regnum Celorum* appellare maluerunt. Evidens enim est, ab iis ipsis agnosci conlatam interim Sanctorum Animabus Beatitatem atque ipsam in Coelis.

Ceterum lepidus est, ac caecitatem suam prodit Burnetus, quum pag. 73. Liturgiam antiquissimam, quae Sancto Jacobo tribuitur, in suum praesidium advocat, Graeco tantum textu prolato; inde inferre volens, pro *Animabus etiam Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum &c.* preces & oblationes a Fidelibus fuisse factas, quod nondum illas crederent *ad summam Gloriam, & beatissimam Dei Visionem percivisse.* Fabulas narrat hic Scriptor. Jam supra palam fecimus, nullas Ecclesias obtulisse preces pro Animabus Patriarcharum, Apostolorum, & Martyrum. Horum mentio in Liturgia in eum tantummodo finem recurrebat, ut pro eorum gloria Deo gratiae agerentur, & cum beatis illorum Spiritibus communio militantis Ecclesiae exprimeretur. Mos autem semper fuit, & adhuc in Ecclesia Catholica perdurat, pro aliorum mortuorum Animabus, quorum Sanctitas incomperta est, Deo exhibere preces, ut, si remissione indigeant, eas misericors Deus peccatis solvat, atque in aeternam suam Requiem & Gloriam recipiat, atque ideo precari, quia nunc, non vero in fine Mundi, Gloriam hanc eis conferri Ecclesia cupit, & pro Dei clementia conferendam sperat atque confidit. Sed minime pro Apostolis & Martyribus preces Deo offerebantur, neque offeruntur; quippe jam Patriarchae, jam Prophetae, Apostoli, & Martyres, alique Sancti, communi Ecclesiae calculo, vel ipsis primis saeculis censebantur attigisse metam & accepisse bravium; non integrum sane, perfectumque Praemium illud, quod ex Resurrectione totus homo justus expectare debet, sed tamen Praemium incomprehensibile Beatitatis, quippe realis, aut aliquis saltem Visionis Dei & Christi. Pro ceteris autem, qui in pace Ecclesiae atque in signo fidei dormierant, utpote quod incerta apud su-

per-